



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Institvtionvm// Ad Vniversvm// Ivs Pontificivm, Sive//
Canonicvm, Libri Qvatvor**

Lancellotti, Giovanni Paolo

Basileae, 1566

vij. De Libelli conceptione, & oblatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61756)

non admittitur ad aliam citationem. h. d.

capit. 1. eod. tit. in 6.

Idem quoque actor, si ad terminum, ad quem aduersarium citari fecerit, venire contempserit, venienti reo in expensis propter hoc factis legitimè condemnabitur: & ad alià citationē minimè admittendus erit, nisi de fideliter in posterum comparando idoneam cautionem dederit.

Iudex debet esse contentus una poena ex pluribus, quæ aduersus contumacem competunt, & ex crescente contumacia potest etiam ad alias procedere. h. d.

Quod autem diximus, iuribus variè contumaciam coerceri, non est ita accipiendum, quasi omnes simul poenas ius dicēs infligere cōtumaci debeat, sed quòd variarum poenarum sibi datur optio: vnde altervtra, quæ magis timeri debeat, iudex à principio cōtentus erit, ad alià nihilo minùs processurus, si hoc meruerit proteruitas contumacis.

DE LIBELLI CONCEPTIONE, & OBLATIONE,

TITVLVS VII.

Actor reo comparente debet clarum iudici libellum offerre. Et quid sit libellus. h. d.

can. inducia. 5. offeratur. 3. q. 3.

In primis igitur reo in assignato termino comparente iudici libellum actor offeret, & illud ita clarum & planum, ut ex eius inspectione deliberare re-

us valeat, vtrum cedere velit, an contendere: atque ut, si contendendum sit, dispicere valeat iudex, quemadmodum à se concipienda sit sententia. Nihil enim aliud est libellus, quàm breuis scriptura claram actoris intentionem continens, & contra aduersarium necessariò concludens.

Libellorum alij sunt accusatorij, alij conventionales. h. d.

Porrò libellorum duæ sunt species: alij. n. sunt accusatorij, alij conventionales. Accusatorij sunt, quibus quis aliquos apud iudicem alicuius criminis reos defert: de quibus quidem in præsentem nobis non est institutus sermo, sed infra suo loco & ordine dicetur. Conventionales sunt, quibus in ciuilibus disceptationibus utimur, dum rem nostram, aut quæ nobis deberi putamus, in iudicio petimus.

Quæ debeat continere libellus, & quòd ineptus, uel obscurus libellus non obligat ad respondendum: & quòd iudex illum potest laedere. h. d.

Exprimet igitur oblati libellus, nõ solum agentis, & cõuenti nomen, sed & ius dicēris, & petitiæ rei, & actionis qualitatē. Et si personali experientia sit actione, petendi quæ causa exprimenda erit: alioqui nec cõuentus respondere tenebitur, & iudex libellum

cap. 1. in gl. 1. extr. de libel. obligatio.

gloss. 1. cap. 1. extra. eod. tit.

can. per scripta sit. 5. libellorum. 2. q. 8.

d. gloss. 1. cap. 1. eod. tit. extra.

cap. 2. extra. eod. tit.

cap. 1. extra. eod. tit.

non legitimæ cōventionis formam continentem concerpere ac destruere poterit.

Plures dantur casus, in quibus solennis libelli porrectio non est necessaria. b. d.

in clem. sæpè. de verb. signific.

Sunt tamen casus, in quibus solennis hæc libelli oblatio minime est necessaria: veluti in quibus de plano ac sine strepitu & figura iudicij procedendū erit, & in quibus etiam non cōtestata lite testes recipi possunt, & alij plures.

Bene faciet iudex, si rem terminare quæret sine tela iudiciaria. b. d.

In his quoque casibus, in quibus libelli est necessaria porrectio, probè iudex fecerit, si principales personas, vel in subsidium etiam aduocatos factum ipsum proponere iusserit, & sine tela iudiciaria controuersia terminare tentauerit.

Oblato libello debent reo dari dilationes ad excipiendum, & ad euitandam obscuritatem una materia est uno in loco tractanda. hoc dicit.

in can. induc. §. offeratur. 3. q. 3.

Oblato tamen secundum iuris ordinem libello, certæ reo convento indulgentiæ sunt induciæ^b, quibus deliberet, cedendum sibi sit, an contēdendum: acceptandus, an recusandus iudex: deniq; ut proponat, si quas habet, exceptiones. Quæ propterea comparatæ sunt, ut ij, ad uersos quos instituuntur actiones, defendātur. Harū verò quædam ante litis contestationem

opponendæ erunt, quædam verò etiam post contestatam litē. Sed ne, si qui inter has alieni tractatus medij fuerint interiecti, huiusmodi sectio obscuritatem pariat, videamus nunc generaliter de exceptionibus.

DE EXCEPTIONIBUS, & REPLICATIONIBUS,

TITVLVS VIII.

Quid sit exceptio, & quotuplex eius est species: dilatoria, & peremptoria. Et quod dilatoriarum quædam respiciunt iudicē, quædam actorem, quædam reum, quædam causam. hoc dicit.

EXceptio est c actionis, vel intētionis exclusio. Exceptionum summa diuisio in duo genera deducitur^d: aut enim sunt dilatoriæ, aut peremptoriæ. Dilatoriæ sunt, quæ rē & iudicium differunt. Harum quædam iudicis personam respiciunt, quædam agentis, quædam rei conventi, quædam verò actionis & causæ qualitatem. Personam iudicis respiciunt, vel quæ illius incompetentiam arguunt, vel de ipso suspicionem ingerunt, secundum ea, quæ suprâ suo loco latius exposuimus. Et hæc declinatoriæ quoque poterunt appellari. Actoris partem illæ spectant, quæ illum non legitimam in iudicio standi personam habere demonstrant: quales sunt, procuratoriæ: utputa, si quis per mo-

na-

glos. in un. irritari. cap. dudum. c.ij. extra. de elect. gloss. in cap. ex parte. extra. de foro competent. gloss. x. cap. exceptionum. extra. eod. de excepti.